

cus se habere. Lactucæ succus, si integer ad cor perueniret, non secus, quàm cicuta hominem interempturum prædicit Galenus. Nimirum dum moras in ventris trahit capacitate, vim exquisitæ frigiditatis, cum alimentaria qualitate permutat. Ita sturnis non nocet cicuta, quæ confestim hominem peruadens, mortem accelerat. Ergò potest mitius reddi noxium remedium, cum forma sublata, id quod inde fluebat, auferri necesse sit. Tametsi autem tum rem nomenq; amittat compositum, quodque pridem Antimonium fuerat, iam vix sit tertia illius pars cõstituens, nil nos moratur. Abscedat nomen, pereat compositum, & quiduis sit aliud, quàm prius fuerat, Antimonium. Hoc solum datur, quod inde artificii præparatione extruitur, si corporis interioribus exhibeatur, nihil committi, quod à materiæ medicinalis legibus abhorreat. Cardanus equidem, præclaræ vir eruditionis, Grammaticorum zelum præposterum reprehendit, qui barbararum odio dictionum, tam sanctè se adstringant Ciceroniano nitore,

3 simpl. 18.

Sect. 1.
meth. med.
cap. 77.

vt